LXII. GREG. ANTHEMIO SUBDIACONO.

Indicavit nobis adeodatus presentium portitor. ante multos an-
nos in solo se iuris ecclesie nostre ea condicione edificium posuisse. ut
duos solidos annis singulis ecclesiastice rationi persolveret. et
post eius obitum solum ipsum cum inposito edificio ad ius ecclesie
sine dubitatione aliqua remaneret. Sed quia in tantam se asserit
pauperiem pervenisse. ut eosdem duos solidos sicut promiserat
singulis non possit annis inpendere. et ob hoc unum sibi petit
relaxari. experientia tua cure addiscere. et si pauper ita ut
asserit manifeste est nostre prestationis partem mediam relaxatam
volumus. ut annis singulis non amplius quam solidum unum ex-
solvat. qui et etatis senium. et pauperies eius indicat. ut onus
ei quod postolat debeat relevari; Ita ergo hoc servare studi-
um sit. ut tamen proprietatem soli atque impositi edificii post obitum
ipsius. ecclesie. sollicitudine [do] [tua] omnino vigilantia cuncta conservet;

LXIII. GREG. BONINO DEFENSORI.

Filius noster furtunatus. abbas monasterii sancti semetrii. quod in hac
urbe romana situm est. latores presentium monachos suos illic
pro recolligendis mancipiis iuris sui monasterii. que illic lati-
tare dicuntur. dirigens petiit. ut ex presentie [pientie] tue eis dabrant
adeē solatia; ea propter presenti tibi auctoritate precipimus.
ut eis in omnibus salva ratione concurrere ac opitulari festines.
Quatenus te illic coram posito. atque in hac causa ferente sola-
tia. salubriter hec citius valeant que sibi iniuncta sunt ad ef-
fectum deo adiutore perducere; LXIIII. GREG. IANUARIO EPISCOPO CARALIS.

Predicator omnipotentis domini paulus
apostolus dicens. seniorem ne increpaveris. Sed hec eius regula

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0451